PARMENIDIS ET EMPEDOCLIS

DOCTRINA DE MUNDI STRUCTURA.

AUCTORE

E. F. APELT,

PHILOSOPHIAE DOCTORE ET PROFESSORE PUBLICO ORDINARIO IN UNIVERSITATE IENENSI.

IENAE

SUMPTIBUS FREDERICI MAUKII

MDCCCLVII.

Ex quo Boeckhius veram indolem astronomiae Philolaicae explicuit, Pythagoreorum doctrina de mundi structura non amplius dubia vel ambigua est. Scimus, Philolaum in medio mundo posuisse Jovis custodiam sive Vestam, circa quam tres universi plagae sint: *τὸν οὐρανὸν* seu regionem sublunarem, *τὸν κόσμον* seu coelum sphaerarum et *Ὄλυμπον*; diei et noctis vicissitudines autem explicuisse terrae revolutione non circum axem, sed circum medium mundi ignem in orbe aequatoriali, quem oblique secet eclipticus circulus, in quo Sol, Luna et quinque planetae circum ignem revolvuntur. At non tam certum est, num illa doctrina de igne Vestae in medio mundo sito et diurno motu terrae circum id ante Socratem extra scholae limites propagata sit. Vestigia hujus doctrinae Parmenidis et Empedoclis opinionibus inesse voluerunt nonnulli, qui veterum philosophorum placita aut tradiderunt aut interpretati sunt. Jam in Theolog. Arith. p. 7 ed. Ast legimus: *(οἱ Πυθαγορεῖοι) φασί, περὶ τὸ μέσον τῶν τεσσάρων στοιχείων κεῖσθαί τινα ἑναδικὸν διάπυρον κύβον.. ἐοίκασι δὲ κατά γε ταῦτα κατηκολουθηκέναι τοῖς Πυθαγορείοις οἵ τε περὶ Ἐμπεδοκλέα καὶ Παρμενίδην καὶ σχεδὸν οἱ πλεῖστοι τῶν πάλαι σόφων, φάμενοι τὴν μοναδικὴν φύσιν Ἑστίας τρόπον ἐν μέσῳ ἱδρύσθαι, καὶ διὰ τὸ ἰσόῤῥοπον φυλάσσειν τὴν αὐτὴν ἕδραν.* Et nostris temporibus, ut taceam de aliis, excellentissimus veterum philosophematum interpres Boeckhius Philolai doctrinam in Parmenidis et Empedoclis figmentis suspicatus est. Jam in commentatione mea, quae inscripta est: Untersuchungen über die Philosophie und Physik

der Alten evincere studui, Parmenidis et Empedoclis placita de rerum natura a Pythagoreorum philosophorum doctrina prorsus aliena esse, quod jamjam copiosius et novis argumentis monstrare hic conabor.

Tota philosophiae Eleaticae indoles a Pythagorica doctrina diversa est. Pythagorei enim philosophi veritatem ita quaerebant, ut res naturales mathematice i. e. numeris et figuris geometricis cognoscerentur, quapropter veram cognitionem rerum visibilium et naturalium sibi arrogabant. Eleatici contra duo ponunt cognitionis genera: unum visibilium et naturalium, alterum intelligibilium rerum, quorum alterum quidem, *τὸ νοητόν veritatem* ipsam, alterum vero, *τὸ δοξαστὸν, tantum veritatis speciem* scilicet *opiniones* comprehendit. Siculi omnem cognitionem humanam in duas partes, ita etiam mundum sensibilem in duas regiones dividit Parmenides, alteram *igneam*, alteram *terrenam*, illam superiorem, hanc inferiorem orbem esse ratus. Haec mundi divisio plane non congruit cum Philolaica illa tripartitione in tres supra dictas universi plagas.

Posuit enim Parmenides duo rerum naturalium principia sibi contraria, quae variis nominibus celebrat: *calidum* et *frigidum* sive *lucidum* et *opacum*, *ignem* et *terram*. In carmine suo ambo illa principia etiam *lucem* et *noctem* appellat *). Parmenidem his appellationibus non proprie terram et ignem, sed aetheriam et ter-

---

*) Aristoteles Phys. I, 5. T. I. p. 257 G: *Παρμενίδης θερμὸν καὶ ψυχρὸν ἀρχὰς ποιεῖ, ταῦτα δὲ προσαγορεύει πῦρ καὶ γῆν.*

Idem Metaphys. I, 5. T. II. p. 648 F: *δύο τὰς αἰτίας καὶ δύο τὰς ἀρχὰς τίθησι . ., θερμὸν καὶ ψυχρόν, οἷον πῦρ καὶ γῆν λέγων· τούτων δὲ τὸ μὲν κατὰ τὸν ὂν (τὸ θερμὸν) τάττει, θάτερον δὲ κατὰ τὸ μὴ ὄν.*

Simplicius Phys. f. 6. B dicit de Parmenide: *ἐν τοῖς πρὸς δόξαν* principia statuisse *πῦρ καὶ γῆν, μᾶλλον δὲ φῶς καὶ σκότος.*

Alexand. Aphrod. apud Simplic. Phys. f. 9 A: *ἀρχὰς τῶν γενομένων ὑπέθετο πῦρ καὶ γῆν, τὴν μὲν γῆν ὡς ὕλην ὑποτιθεὶς, τὸ δὲ πῦρ ὡς ποιητικὸν αἴτιον· καὶ ὀνομάζει, φησί, τὸ μὲν πῦρ φῶς, τὴν δὲ γῆν σκότος.*

renam materiem intellexisse, nemini dubium fore credo. Ipse appellat illa elementa *μορφαὶ* i. e. ***species*** seu ***genera*** (*εἴδη*) materiei. Ex duobus his generibus, luce et nocte, constat totus mundus.

Quomodo ex his materiei speciebus mundum constructum sibi finxerit Parmenides, si velimus quaerere, in primis notandum est, quid de Terrae figura et situ docuerit. Terram autem docuit rotundam esse, et aequalibus undique a mundi ora intervallis distantem, in centro consistere, eamque tremiscere quidem interdum, haud tamen moveri, sed circum hanc tanquam centrum coelestes orbes circumferri. Testis est Diogenes Laërtius IX, 21 de Parmenide loquens: *πρῶτος τὴν γῆν ἀπέφηνε σφαιροειδῆ καὶ ἐν μέσῳ κεῖσθαι.* Idem testatur Plutarch. Plac. III, 15: *Παρμενίδης, Δημόκριτος, διὰ τὸ πανταχόθεν ἴσον ἀφεστῶσαν μένειν ἐπὶ τῆς ἰσοῤῥοπίας, οὐκ ἔχουσαν αἰτίαν, δι' ἣν δεῦρο μᾶλλον ἢ ἐκεῖσε ῥέψειεν ἄν· διὰ τοῦτο μόνον μὲν κραδαίνεσθαι, μὴ κινεῖσθαι δέ.* Terrae motus spectari, unusquisque intelligit. Parmenides quoque primus, teste Posidonio, terram in quinque zonas distribuit; quarum mediam (torridam) nimis latam fecit, ita ut circulorum tropicorum intervallum excedat; ambas autem temperatas habitabiles dixit.

Quaenam vero ex sententia Parmenidis coeli constructio est circa hanc in medio mundo quiescentem terram? Hanc quaestionem spinosam et controversam, ut mihi videtur, omni ex parte dijudicare licet ex loco classico Stobaei, quem, quomodo explicandus sit, viri docti valde dubitaverunt et contenderunt. Ille locus apud Stobaeum Ecl. Phys. I, 23. 1. p. 482 sq. ita legitur: *Παρμενίδης στεφάνας εἶναι περιπεπλεγμένας ἐπαλλήλους, τὴν μὲν ἐκ τοῦ ἀραιοῦ, τὴν δὲ ἐκ τοῦ πυκνοῦ, μικτὰς δὲ ἄλλας ἐκ φωτὸς καὶ σκότους μεταξὺ τούτων· καὶ τὸ περιέχον δὲ πάσας τείχους δίκην στερεὸν ὑπάρχειν, ὑφ' ᾧ πυρώδης στεφάνη· καὶ τὸ μεσαίτατον πασῶν περὶ ὃν πάλιν πυρώδης· τῶν δὲ συμμιγῶν τὴν μεσαιτάτην ἁπάσαις τοκέα* (vulg. *τε καὶ*) *) *πάσης κινήσεως καὶ γενέσεως*

---

*) Sic emendavit Davisius ad Ciceron. Nat. Deor. I, 11.

ὑπάρχειν, ἥντινα καὶ δαίμονα καὶ κυβερνήτην καὶ κληδοῦχον (vulg. *κληροῦχον*) *ἐπονομάζει, δίκην τε καὶ ἀνάγκην. Καὶ τῆς μὲν γῆς τὴν ἀπόκρισιν εἶναι τὸν ἀέρα, διὰ τὴν βιαιοτέραν αὐτῆς ἐξατμισθέντα πίλησιν· τοῦ δὲ πυρὸς ἀναπνοὴν τὸν ἥλιον καὶ τὸν γαλαξίαν κύκλον. συμμιγῆ δ' ἐξ ἀμφοῖν εἶναι τὴν σελήνην, τοῦ τ' ἀέρος καὶ τοῦ πυρός. Περιστάντος δ' ἀνωτάτω πάντων τοῦ αἰθέρος, ὑπ' αὐτῷ τὸ πυρῶδες ὑποταγῆναι, τοῦθ' ὅπερ κεκλήκαμεν οὐρανόν· ὑφ' οὗ* *) *ἤδη τὰ περίγεια.*

Hunc locum corruptum esse quis non vidit? Varia fortuna verba: *καὶ τὸ μεσαίτατον πασῶν περὶ ὧν πάλιν πυρώδης* emendare conati sunt viri docti. Karsten **) putat Stobaei verba sic scribenda esse: *καὶ τὸ μεσαίτατον πασῶν . . . . . περὶ ᾧ πάλιν πυρώδης*, credens excidisse *κέντρον τάξιν ἔχειν* aut simile quid, quod in *infimum* hunc sive *terrenum* orbem conveniat. Sed haec nimis artificiosa conjectura non tantum aliquid tautologiae simile, sed etiam falsum sensum praeberet. Etenim *τὸ μεσαίτατον πασῶν* non est centrum universi vel *τὰ περίγεια*, ut opinatur Karsten, sed media corona omnium tam mixtarum, tam purarum. Ex eadem ratione mihi rejicienda videtur etiam emendatio Boeckhii ***), qui pro *περὶ ᾧ* conjecit *περὶ ὅ* et supplendum censet *στερεόν* ac si dicere voluisset Stobaeus, intimum nucleum (sc. universi) esse solidum et circum id ignem. Quod si dicere voluisset Stobaeus, nonne scripsisset *τοῦ παντός* pro *πασῶν*? Ad verbum *πασῶν* autem mihi supplendum videtur *στεφανῶν*. Davisius conjecit: *καὶ τὴν μεσαιτάτην πασῶν ἀραιῶν πάλιν πυρώδη*, quae conjectura, ut jam Karsten annotavit, repugnat ipsius Stobaei testimonio, qui unam tantum *ἐκ τοῦ ἀραιοῦ, puro candore nitentem coronam*, memorat. Ego autem censeo, simplicissimam et verisimillimam conjecturam esse, si legamus: *τὴν μεσαιτάτην πασῶν μικτῶν* (pro *περὶ ὧν*) *πάλιν πυρώδη*, et mediam omnium mixtarum iterum co-

---

*) pro *ὑφ' οὗ* legendum est: *ὑφ' ᾧ*.
**) Parmenidis Eleatae Carminis Reliquiae p. 246 Ann.
***) Annal. lit. Heidelb. a. 1808, Fasc. 1. p. 116—118.

ronam igneam esse. Omnis enim obscuritas, quae huic loco inesse videtur, evanesit, si modo animadverterimus sub voce: *στεφάνη πυρώδης* duas diversas res esse comprehensas. Nam Stobaeus coronas universe enumerat tres genere: unam *ἐξ ἀραιοῦ* (quam *αἰθέρα* sive *Ὄλυμπον* appellat Parmenides), alteram *ἐκ πυκνοῦ* (i. e. *τὰ περίγεια*) et plures medias inter has *μικτάς*. Hae mixtae coronae autem sunt partim siderum orbes partim aëris et meteororum orbis. Mixtae autem nominantur quia mixtae sunt ex utraque materiei specie, aetheria et terrena. Quaerendae autem sunt non in spatio vacuo inter ambas puras, sed in his ipsis; quod discimus ex altero Stobaei loco *), ubi legimus: *Παρμενίδης πρῶτον μὲν τάττει τὸν Ἑῷον, τὸν αὐτὸν δὲ νομιζόμενον ὑπ' αὐτοῦ καὶ Ἕσπερον, ἐν τῷ αἰθέρι· μεθ' ὃν τὸν Ἥλιον, ὑφ' ᾧ τοὺς ἐν τῷ πυρώδει ἀστέρας, ὅπερ οὐρανὸν καλεῖ.* Ex hoc loco etiam cognoscimus, quomodo Parmenides sibi ordinem coronarum mixtarum cogitaverit et quid sub corona illa media mixtarum intelligendum sit, quae *iterum ignea* (*πάλιν πυρώδη*) a Stobaeo dicitur. Est enim nihil aliud nisi coelum stelliferum, quod *οὐρανόν* appelasse Parmenidem refert Stobaeus. Igitur non tantum *Ὄλυμπον*, sed etiam *Οὐρανόν* Stobaeus appellat *coronam igneam*. Ille est *πυρώδης στεφάνη ὑπὸ τῷ πάσας περιέχοντι*, hic *τὸ πυρῶδες ὑπ' αἰθέρι*. Eodem nomine autem utrumque appellat, quia *ὁ Ὄλυμπος* secundum opinionem Parmenidis orbis continente ardore lucis vel corona aetherea mundi fuit, *τὸν οὐρανόν* autem veteres plerumque tanquam orbem igneum diruptum centemplabantur, qui terram et aëris orbem circumdat veluti cortex arborem.

Haec opinio secundum quam Olympus supra coelum (*οὐρανόν*) situs est, ex religiosis Graecorum notionibus exorta est. Iam apud Homerum cacumen Thessalici montis Olympi, in quo sedes deorum, per foramen coeli, terrae tecti, in Aetherem sese extollit. Haec cogitatio remansit, mutatis etiam de terrae coelique natura

---

*) Ecl. phys. I, 25. p. 516. 518.

notionibus. A philosophis semper Olympus ut *τόπος ὑπερουράνιος* memoratur, puro candore, terrena caligine immunis, aetherea zona mundi.

Ordo sphaerarum autem hic est. In superiore et aetherea regione mundi suprema sphaera est *Veneris*, sub qua illa *Solis* et sub hac in confinio aethereae et terrenae regionis coelum stelliferum (*οὐρανός*), quod, ut ex priore allato loco vidimus, orbes Lunae et Aëris subsecutos esse affirmavit.

Quod solis orbem supra stellarum coelum esse censet, commune habet cum Anaximandro.

Hujus Parmenideae imaginis mundi depictionem vides in fig. I.

Ex hac pictura videmus, coronam igneam, quam appellat *οὐρανόν*, mediam esse omnium mixtarum, supra quam orbes Veneris et Solis, infra quam orbes Lunae et Aëris revolvantur circa terram in medio mundo quiescentem. Et quia etiam mundum dividit in regionem aetheriam et terrenam sive lucidam et opacam, Parmenides de eo dicit vs. 11:

Ἔνθα πύλαι νυκτός τε καὶ ἤματός εἰσι κελεύθων.

In hunc medium totius mundi orbem posuit Numen, *Δαίμονα ἣ πάντα κυβερνᾷ*, quam *κληδοῦχον*, *δίκην* et *ἀνάγκην* appellat. Quid hoc sibi sult? Veteres terram discum et coelum ut campanam eam tegentem, stellas autem non in coelo affixas putabant. Parmenides vero cognoverat coelum esse sphaeram continentem terram globosam undique circumdantem, in qua stellae affixae sint; quod exprimit versibus 136—138:

. . εἰδήσεις δὲ καὶ οὐρανὸν ἀμφὶς ἔχοντα,
ἔνθεν ἔφυ τε καὶ ὥς μιν ἄγουσ' ἐπέδησεν ἀνάγκη
πείρατ' ἔχειν ἄστρων.

Sphaerae stelliferae sive *τοῦ οὐρανοῦ* i. e. firmamenti conversione oritur diei noctisque vicissitudo et quaevis mutatio naturae, quae ab hac pendet. Eam igitur mensorem et gubernatorem et tanquam fontem et originem omnium motuum coelestium considerare licet, qua propter etiam seriores Astronomi et Astrologi illam sphaeram *Primum mobile* nominabant. Haec est causa cur hanc sphaeram Parmenides sedem divini numinis habuit, cujus vi et moderamine mundus regatur et universum contineatur.

Planetarum unum tantum novit nempe Venerem, reliqui ei ignoti sunt. Igitur septem sphaerarum coelum, quod *κόσμον* vocant Pythagorei, hic plane non invenitur. *Orbem lacteum* autem apud Parmenidem nihil aliud esse nisi ipsum coelum stellatum i. e. *τὸν οὐρανόν* videmus ex ipsis versibus 139—142:

πῶς γαῖα καὶ ἥλιος ἠδὲ σελήνη
αἰθήρ τε ξυνός γάλα τ' οὐράνιον καὶ ὄλυμπος
ἔσχατος ἠδ' ἄστρων θερμὸν μένος ὡρμήθησαν
γίγνεσθαί.

Hic *γαλαξίας κύκλος*, via lactea, *οὐράνιος* dicitur, quia *ἐν τῷ οὐρανῷ*, in coelo stellato, sedem habet, et ab Olympo, qui coelum cingit, distinguitur. Aether autem communis dicitur, quia omnia superiora ex eo conflata sunt. Idem etiam cognoscitur ex Stobaei verbis p. 574: *Παρμενίδης τὸ τοῦ πυκνοῦ καὶ τοῦ ἀραιοῦ μίγμα γαλακτοειδὲς ἀποτελέσαι χρῶμα.* Etenim, si via lactea ex mixtione lucidae et caliginosae sive rarae et densae materiei orta est, non in Aethere, sed in confinio aethereae et terrenae regionis i. e. in coelo stellato sita esse debet. Cui sententiae etiam hoc consentaneum est, quod Stobaeus p. 532 refert: *Παρμενίδης τὸν ἥλιον καὶ τὴν σελήμην ἐκ τοῦ γαλαξίου κύκλου ἀποκριθῆναι, τὸν μὲν ἀπὸ τοῦ ἀραιοτέρου μίγματος, ὃ δὴ θερμὸν, τὸν δὲ ἀπὸ τοῦ πυκνοτέρου, ὅπερ ψυχρόν.* Quum enim Solem supra, Lunam infra orbem lacteum sive coelum posuisset Parmenides, putabat etiam ex ipso illo orbe excrevisse Solem et Lunam, illum puriore et calidiore, hanc frigidiore et crassiore natura praeditam.

Ex hac explicatione Parmenidis placitorum de rebus physicis facile etiam id intelligitur, quomodo duo loci obscuri interpretandi sint. Alter est Stobaei (I, 24. p. 500): *Ἀναξιμένης καὶ Παρμενίδης τὴν περιφορὰν τὴν ἐξωτάτω τῆς γῆς εἶναι τὸν οὐρανον* h. e. summum orbem sive circuitum, non totius universi vel mundi, sed terrenae regionis in mundo esse *coelum* stelliferum. Alter est Ciceronis de natura decorum I, 11: „Parmenides commentitium quiddam coronae simile efficit, *στεφάνην* appellat, continente ardore lucis orbem, qui cingit coelum, quem appellat Deum." Non cingentem orbem, sed coelum, quod cingitur ab orbe continente ardore lucis appellat deum. Coelum autem quod appellat Deum, est *οὐρανός* et orbis continente ardore lucis, qui illum cingit, est *Ὄλυμπος* i. e. aetheria regio mundi vel orbis aetherius.

Quod Vir Clariss. Karsten Parmenidem de structura mundi statuisse docuit refutatur hac ipsa declaratione Parmenideae imaginis mundi. In tribus autem maxime erravit vir doctus. Primum, quod putat *τὸν οὐρανόν* i. e. orbem stellarum esse extremam mundi oram, coronam supremam, quae muri instar fixa et solida reliquas omnes contineat. Confundit igitur *Ὄλυμπον ἔσχατον* et *οὐρανὸν ἀμφὶς ἔχοντα*, coelum stellatum, qui est media inter mixtas corona. Deinde, quod coelum septem sphaerarum interponit inter terram et illam supremam coronam. Denique, quod putat orbem lacteum ab orbe fixarum vel omnino stellarum diversum esse. Haec omnia a Parmenidis sententia prorsus aliena sunt.

Mundi structura, quam Empedocles sibi finxit, fere eadem est ac Parmenidis. Eum quoque in medium mundi centrum posuisse terram quiescentem cognoscitur ex Aristotelis de Coelo II, 13 verbis: *ὅτι δὲ μένει (ἡ γῆ), ζητοῦσι τὴν αἰτίαν καὶ λέγουσιν, ὥσπερ Ἐμπεδοκλῆς, τὴν τοῦ οὐρανοῦ φορὰν κύκλῳ περιθέουσαν καὶ θᾶττον φερομένην, τὴν τῆς γῆς φοράν κωλύειν, καθάπερ τὸ ἐν τοῖς κυάθοις ὕδωρ. καὶ γὰρ τοῦτο, κύκλῳ τοῦ κυάθου φερομέ-*

νον, πολλάκις κάτω τοῦ χαλκοῦ γινόμενον ὅμως οὐ φέρεται κάτω, πεφυκὸς φέρεσθαι, διὰ τὴν αὐτὴν αἰτίαν. Idem testatur Simplicius ad Aristotelis de Coelo II, 13. Porro Plutarchus apud Eusebium (I, 8, 10) Empedoclis placita referens dicit: *εἶναι δὲ κύκλῳ περὶ τὴν γῆν φερόμενα δύο ἡμισφαίρια, τὸ μὲν καθόλου πυρός, τὸ δὲ μικτὸν ἐξ ἀέρος καὶ ὀλίγου πυρὸς, ὅπερ οἴετας τὴν νύκτα εἶναι.* Hic vocabulo *ἡμισφαίριον* non usitato sensu usum fuisse auctorem jam inde apparet, quod de eo dicit, in orbem moveri circa terram. Igitur duo illa hemisphaeria sunt duae sphaerae concentricae sive homocentricae, ex quarum conversione circa terram vicissitudinem diei et noctis oriri putavit Empedocles. Quis in his non recognoscet ambas illas coronas Parmenidis, quarum altera est lucida et ignea, altera autem caliginosa? Quomodo autem ex illarum revolutione circa terram diei noctisque vicissitudo oriri potest? Id apparebit, si modo recordemur, quid de natura solis et coeli placuerit Empedocli. De solis autem natura plane aliter sentit ac Parmenides. Est enim ei non singulare corpus in aethere seu orbe igneo se movens, sed quasi lens caustica in ipso coelo crystallino. Coelum autem pariter ac Parmenides confinium orbis aëris et ignis habuit, quod cognoscimus ex Plac. II, 11 (Stob. I, 500): *Ἐμπεδοκλῆς στερέμνιον εἶναι τὸν οὐρανὸν ἐξ ἀέρος συμπαγέντος ὑπὸ πυρὸς κρυσταλλοειδῶς τὸ πυρῶδες καὶ ἀερῶδες ἐν ἑκατέρῳ τῶν ἡμισφαιρίων περιέχοντα* i. e. coelum crystallinum infra ignem positus sejungit sphaeram ignis ab sphaera aëris. Lente illa caustica coelo crystallino alicubi insita ardor lucis sphaerae superioris colligitur in unum focum, unde oritur species solis in coelo, quapropter Diog. (VIII, 77) ex sententia Empedoclis solem *πυρὸς ἄθροισμα μέγα* vocat. Testantur id ipsi versus Empedoclis 186. 188:

Ἥλιος ὀξυβελὴς ἠδ' ἀγλαΐεσσα σελήνη.
Ἀλλ' ὁ μὲν ἀλισθεὶς μέγαν οὐρανον ἀμφιπολεύει.
Ἀνταυγεῖ πρὸς Ὄλυμπον ἀταρβήτοισι προςώποις.

Hic Olympus, ad quem refulget sol intrepida fronte, manifeste est Olympus Parmenidis seu corona superior, orbis igneus,

cujus lux in foco illo coeli i. e. *τοῦ οὐρανοῦ* in unum concurrit ad splendorem solis *). Quocum convenit, quod legimus apud Plutarchum l. c.: *ὁ δὲ ἥλιος τὴν φύσιν οὐκ ἔστι πῦρ, ἀλλὰ τοῦ πυρὸς ἀντανάκλασις, ὁμοία τῇ ἀφ' ὕδατος γινομένῃ*; et Pyth. orac. c. 12: *Ἐμπεδοκλέους..... φάσκοντος τὸν ἥλιον περὶ γῆν ἀνακλάσει φωτὸς οὐρανίου γενόμενον, αὖθις, „ἀνταυγεῖν πρὸς Ὀλ." κτλ.* Unde videmus solem non esse corpus igneum, sed oriri refractione ardoris circa terram circumfusi et acceptam lucem a coelo speculi instar refundere. Solis autem splendor certo tantum coeli loco affulget, eo nempe, ubi focus ille sive lens caustica coeli sphaerae infixa est. Quae igitur sphaera crystallina dum revolvitur circa terram in medio mundo quiescentem secum vehit solis discum sibi infixum, qua ratione oritur vicissitudo diei et noctis.

Quibus expositis lucem etiam afferre possumus narrationi illi miraculosa de Empedocle: *Ἐμπεδοκλῆς δύο ἡλίους, τὸν μὲν ἀρχέτυπον, πῦρ ἐν τῷ ἑτέρῳ ἡμισφαιρίῳ τοῦ κόσμου, πεπληρωκὸς τὸ ἡμισφαίριον, ἀεὶ καταντικρὺ τῇ ἀνταυγείᾳ ἑαυτοῦ τεταγμένον· τὸν δὲ φαινόμενον ἀνταύγειαν ἐν τῷ ἑτέρῳ ἡμισφαιρίῳ τῷ τοῦ ἀέρος τοῦ θερμομιγοῦς πεπληρωμένῳ, ἀπὸ κυκλοτέρους τῆς αὐγῆς κατ' ἀνάκλασιν ἐγγινομένης εἰς τὸν ἥλιον τὸν κρυσταλλοειδῆ (τὸν φαινόμενον) συμπεριελκομένην δὲ τῇ κινήσει τοῦ πυρίνου. ὡς δὲ βραχέως εἰρῆσθαι συντεμόντα, ἀνταύγειαν εἶναι τοῦ περὶ τὴν γῆν πυρὸς τὸν ἥλιον* **). Plerique in hoc primigenio sole Empedoclis Vestam seu Jovis custodiam, quam Philolaus in medio mundo esse statuit, cernere voluerunt pariter ac in illa sede, quam Parmenides assignat Numini, quod vocat Necessitatem et Justitiam. Utrumque falsum. *ἥλιος ἀρχέτυπος* non est corpus quoddam coeleste, sed *τὸ πῦρ περὶ τὴν γῆν* i. e. orbis igneus, qui orbem aëris cir-

---

*) *ἀνταυγεῖ* hic similiter dictum ut vs. 195 de luna solem intuente recte monuit jam Karsten Empedocl. Reliq. p. 219.

**) Stob. Ecl. phys. I, 26. p. 530. Plut. de Plac. phil. II, 20. Eus. Prop. Eu. XV, 23. p. 836. Galen. Hist. phil. XIV, p. 37.

cumdat. Alterum igitur hemisphaerium, primigenio igne repletum, est ipse ille orbis igneus seu Parmenidis Olympus, cujus ardor lucis in foco coacervatur, quo fit, ut solis imago appareat in coelo. Sol autem visibilis non re, sed specie tantum existit. Totam enim sphaeram mundi Empedocles in duas regiones seu zonas (*hemisphaeria* vocat Plutarchus) dividit, alteram candentem et lucidam, alteram opacam et humidam. Illa est ipse *ἥλιος ἀρχέτυπος,* in hac autem nos terrae incolae videmus illius candoris *ἀνταύγειαν* i. e. imaginem a coelo veluti a speculo repercussam, quae repercussio luminis superioris est sol visibilis.

Empedoclem anni quoque varietatem explicuisse scimus. Sed quomodo explicaverit valde obscurum. Effici aestatis et hiemis vicissitudinem oscillatione vel libratione quadam utriusque orbis aëris et ignis, Empedocles docuit. Ut ex verbis: *τροπὴν* (*τοῦ ἡλίου*) *δὲ γίγνεσθαι, ὑπὸ τῆς περιεχούσης αὐτὸν σφαίρας κωλυομένου ἀχρὶ παντὸς εὐθυπορεῖν καὶ ὑπὸ τῶν τροπικῶν κύκλων* *) conjicere licet, rem ita sibi informassse videtur, ut adjecta figura (II) monstrat. Sit T terra, quam non globum, sed discum esse putavit, Z zenith, P polus mundi, A B D situs aestivus coeli crystallini, A′B′D′ ejus situs hiemalis, S et S′ sol visibilis in coelo, AB solis circulus diurnus tempore aestivo, A′B′ idem tempore hiemali; KL et MN sunt limites, quos sphaera librans transgredi non potest, alter circulo cancri, alter circulo capricorni respondens. Quum hieme coelus crystallinus (*ὁ οὐρανὸς*) in directione ZT deorsum moveatur, hoc tempore major arcus circuli diurni A′B′ sub terra sive sub horizonte est, quapropter tunc temporis noctes longiores dies autem breviores fiunt. Aestate autem res contraria est. Arcuum diurnorum solis igitur amplificatio et diminutio in vicissitudine aestatis et hiemis hic non ex obliquitate Eclipticae, sed ex libratione seu oscillatione *τοῦ οὐρανοῦ* inter circulos tropicos derivatur. Atque motus annuus solis i. e. *τροπὴ* oritur circulis tropicis, qui coelum (*τὸν οὐρανὸν*)

---


*) Plac. II, 23. Stob. I, 26.


deorsum sursumque oscillans tanquam in carceres includunt et quia circa terram se revolvens coelum cui inest sol, eum impedit, quominus via recta progrediatur.

Fateor quidem hanc expositionem non omnibus scriptorum locis consentire, sed non video aliam, quae non tantum verbis scriptorum, sed etiam phaenomenis ipsis congrua sit. Tale quid etiam Lucretius Empedocli tribuisse videtur, qui postquam (V, 612. 618) affirmarit, solis motum annuum non e simplici, sed ex duobus causis derivandum, ita pergit vs. 635 sqq.:

fit quoque ut e mundi transversis partibus aër
alternis certo fluere alter tempore possit,
qui queat aestivis solem detrudere signis
brumalis usque ad flexus gelidumque rigorem,
et qui reiciat gelidis a frigoris umbris
aestiveras usque in partis et fervida signa.

Jam veniamus ad rem, cujus causa haec commentatio scripta est. Vos enim, CURATOR SPLENDIDISSIME, PRORECTOR ACADEMIAE MAGNIFICE, DECANI OMNIUM ORDINUM MAXIME SPECTABILES, PROFESSORES ILLUSTRISSIMI, DOCTORES CLARISSIMI, COMMILITONES HUMANISSIMI, ad audiendam orationem, qua munus professoris ordinarii auspicaturi sumus, omni qua par est observantia invitamus.


Fig. 1.
Venus
Sol
Οὐρανός
Luna
Aër
Terra
γὰ περίγεια
Ὄλυμπος
seu
Αἴθης


Fig. 2.
Z
Feuerkreis.
P
K
A
L
A′
S
B
S′
T
B′
D
Ursonne.
M
D′
N